Fragmentarium

B celis solus hominis redemptor B. Ibi dixit
et facta sunt. hic dixit mira. fecit mira per il
lud diuina. ¶ De. iii. i. pet. v. Seniores qui
in uobis sunt obsecro. et senior et testis passionum
christi. qui et eius que in futuro est reuelanda glorie communica
tor pascite qui in uobis est gregem dei. prouidentes
non coacte sed spontanee secundum deum. neque turpis
lucri gratia. sed uoluntarie neque ut dominantes in
clero. sed forma facti gregis ex animo. et cum ap
paruerit princeps pastorum percipietis inmar
cessibilem coronam glorie. Item Ioh. xix. Et uos
testimonium perhibebitis. etc. Non solum autem
apostoli. sed et gentiles testes erant quod uere
deus patiebatur. sicut patet in centurione tunc
presente. et dyonisio absente. qui sole in pas
sione obscurato dixit. Deus nature patitur.
Hec et non solum homines sed et cetere insensibiles
G testabantur. G. Terra cognouit. quia eo
moriente contremuit. Sol cognouit
quia lucis sue radios abscondit et subtraxit.
Saxa et parietes cognouerunt quia tempore
mortis eius scissa sunt. Infernus cognouit
quia hos quos tenebat mortuos reddidit.
¶ De. iiii. Act. iiii. Virtute magna red.
apostoli testimonium resurrectionis etc. Testes huius resur
rectionis christi non solum uiuos sed et mortuos.
Mt. xxvii. Multa corpora sanctorum etc. usque
apparuerunt multis. Item ad testimonium
dominice resurrectionis. Testes quoque huius res
rectionis christi. non solum homines sed et angelos.
qui non solum uoce sed et specie resurrectionem
testantur. G. Quia omnipotens deus et terribi
lis est peccatoribus et blandus iustis. recte
testis resurrectionis eius angelus in fulgore
uultus et candore habitus demonstratur. ¶ De
v. petrus. Act. v. Ihesum quem uos interemistis
suspendentes in ligno. hunc principem deus et
saluatorem exaltauit. Item ascensu in celum.
Et post pauca sequitur et nos sumus testes
horum uerborum. Ecce christus prius humiliatus
est in ligno. postea exaltatus est in celo.
quanto magis tu homo humiliari debes in
mundo si exaltari uolueris in celo. Luc.
xiiii. Omnis qui se exaltat humiliabitur. et qui se
humiliat exaltabitur. Aug. humiliare ut exalte
ris ne exaltatus humilieris. ¶ De. vi.
Luc. xxiiii. Oportebat pati christum. et re
surgere a mortuis tertia die. et predicari in nomine
eius penitentiam et remissionem peccatorum in
omnes gentes. incipientibus ab ierusalem. Vos
autem estis testes horum. Ecce quam larga
miseratio. quia dixit in omnes gentes. Ideo
bene ait petrus Act. x. In ueritate
comperi. quia non est personarum acceptor deus
sed in omni gente qui timet deum et opera
tur iustitiam. acceptus est illi. Ecce quam lar
gissima miseratio quia non solum in omni
gente. sed et in omni crimine et in omni tempore
fit remissio si peccator perfecte peniteat. Aug. Quecumque necessitas cogit
peccatorem ad penitentiam non criminum
immensitas. non uite enormitas. non
hore extremitas excludit ueniam
si perfecta fuerit uoluntatis mutatio.
¶ De. vii. ait petrus. Act. x. Pre
cepit nobis predicare. et testificari
quia ipse est qui constitutus est a deo iu
dex uiuorum et mortuorum corpora
liter. Omnes. n. de foro eius sunt.
Ro. viii. Siue uiuimus siue
morimur domini sumus. Item uiuorum et
mortuorum spiritualiter. iustorum et in
iquorum ut iudex sit christus iustorum
ad coronam iniquorum ad gehennam
damnandorum. Pro meritorum qualitate factorum iu
dex uerus et iustus aut supplicia
decernit aut premia.
Tu es petrus et super hanc pe. e. et.

License: public_domain – Cambridge, MA, Harvard University, Houghton Library, MS Lat 5, (seq. 8) – Commentarius in loca S. Scripturae (https://fragmentarium.ms/view/page/F-i1sl/1275/17116)